

II.1.4.

[1r] (SN) Imbreuiatura mey Baptiste de Capitaneis filius domini Antonii porte Vercelline parochie Sancti Nicolay intus, notarii publici Mediolani.

In nomine Domini. Anno a nativitate eiusdem millesimo quingentesimo tertio, indictione sexta, die veneris, XXIII mensis iunii.

Cum sit quod alias per et inter dominos priorem et scolares Scole Conceptionis beate virginis Marie constructe in ecclesia Sancti Francisci Mediolani, suis nominibus propriis ut scolares dicte Scole, pro quibus promisserunt de rato et cetera parte una seu pluribus, per dominum magistrum Leonardum de Vinziis de Florentia Florentinum parte una alia, et dominos Evangelistam et Iohannem Ambrosium fratres de Praderiis parte una alia seu pluribus, fecerunt inter sese suis et dictis nominibus pacta et conventiones inviolabiliter atendenda et observanda per et inter dictas partes, in quibus inter cetera apparet sicut prefati domini prior et scolares dicte Scole tenerentur et obligati essent dare et tradere dictis magistro Leonardo, Evangeliste et Iohanni Ambrosio ad fabricandum, ornandum et pingendum anchonam altaris seu capelle dicte Scole Conceptionis iusta et secundum listam tenoris infrascriptam in dicto instrumento conventionis et pactorum, pro pretio librarum octocentum imperialium et plurium, prout declaratum fuisset per venerabilem dominum fratrem Augustinum de Ferrariis et duos ex scolaribus dicte Scole eligendos per dictas partes, vel prout latius in eo instrumento pactorum reliquorum rogatorum per dominum Antonium de Capitaneis notarium Mediolani die vigesimo quinto aprilis anni 1483 proximi preteriti, seu anno et die in eo contentis.

Cumque sit quod prefati magistri Leonardus et fratres de Praderiis dictam anchonam fabricaverunt et omnaverunt in forma prout [1v] perspici potest, et ipsam anchonam iam pluribus annis preteritis consignaverunt prefatis domino priori et scolaribus in forma (prout supra) prout ibidem infrascriptus Ambrosius nomine ut infra ad petitionem mey notarii infrascripti stipulantis etc. dixit etc.

Cumque dictus dominus Evangelista decesserit relicto dicto Iohanne Ambrosio eius fratre legiptimo, ac pariter relicto Leonardo eius filio legiptimo et herede in solidum.

Cumque abinde citra dictus magister Leonardus Florentinus se absentavit a presenti civitate et dominio Mediolani, qua de causa ad supplicationem dicti domini Iohannis Ambrosii de Praderiis obtente fuerunt litere regie et ducales directive magnifico domino potestati Mediolani effectus et continentie subsequentis, videlicet: «In nomine Domini amen. <Anno> millesimo quingentesimotertio, indictione sexta, die martis, vigesimo octavo mensis martii, in vespere, hora debita causarum, coram vobis magnifico et generoso viro domino Melchione Pelleri, honorando potestate civitatis et ducatus Mediolani, in hac parte commissario delegato per regias literas inter partes infrascriptas etc. necnon sapienti et egregio legum doctori domino Baldesare de Insula eius vicario et locumtenente ac subdelegato prefati domini potestatis, delegato per prefatas literas regias inter partes infrascriptas, et utroque eorum pro tribunali sedenti super eorum solito banco iuridico posito super pallatio magno Broleti novi communis Mediolani, ubi per vos more solito iura redduntur per vestrum expertum officium, comparuit et se presentavit personaliter dominus Iohannes Ambrosius de Praderiis et ibidem coram prefatis dominis potestate et vicario, commissariis [2r] delegatis et subdelegatis ut supra, et cum reservatis et sine preiudicio quorumcumque iurium suorum et maxime omnium aliarum suarum productarum, produxit, presentavit et exhibuit, et producit, presentat et exhibet infrascriptas originales literas regias cum supplicatione alligata tenoris infrascripti, datas et signatas ut infra

ac sigillatas vero et solito regali sigillo in cera rubea more solito, non rasas, viciatas, abolitas nec in aliqua sui parte suspectas, sed prorsus omni vicio et suspecto carentes, obtentas ad supplicationem suprascripti domini Iohannis Ambrosii; et hoc in illis solis parte et partibus, passibus, punctis et articulis facientur pro dicto domino Iohanne Ambrosio tantum et non ultra; et petiit et cum instantia requixivit et petit et requirit a vobis prefatis domino potestate et vicario, comissariis delegatis et subdelegatis ut supra, executionem prefatarum literarum regaliū, et quod vellint et debeant ipsas infrascriptas literas regias cum contentis in eis^a exequi et executionem mandare, et ius facere et ministrare secundum formam et tenorem ipsarum infrascriptarum litterarum regiarum, et alia facere que in similibus fieri requiruntur». Qui prefati domini potestas et vicarius, comissarii delegati et subdelegati ut supra, pro tribunali sedentes ut supra, cum omni debita reverentia receptis et prolectis dictis infrascriptis literis regalibus et supplicatione in eis alligata etc. obtulerunt de instantia faciendo et ministrando secundum formam et tenorem ipsarum infrascriptarum literarum regiarum, et faciendo eaque per serenissimum Regem et Ducem (nostrum) Mediolani comissa sunt ut infra, et monuerunt partes in infrascriptis litteris et supplicatione nominatas seu agentes pro eis etc. quavis singulis diebus et horis debitis ducantur infrascriptarum literarum regiarum instantiam, sint et compareant coram prefatis dominis potestate et vicario, comissariis delegatis et subdelegatis ut supra, ad videndum et audiendum [2v] procedi in causa prefatarum litterarum regiarum et ius partibus ministrare quarumquidem litterarum^b regiarum et supplicationis tenorem sequuntur ut infra, videlicet: «Ludovicus Dey gratia Franchorum, Neapolis et Ierusalem rex, dux Mediolani etc., dilecto nostro pretori Mediolani, salutem. Intelleximus per supplicationem anexam Iohannis Ambrosii de Prederiis pictoris Mediolanensis, cuius tenore considerato eam ad vos mitendam duximus et volumus ac sumarie cognoscatis de pactis initis inter supplicantes et fratres Scole sancte Marie in supplicatione memorate, et satisfieri faciatis ipsis supplicantibus iusta conventa inter eos. Dat(a) Mediolani, die nono martii 1503, regni nostri anno quinto, per regem ducem Mediolani ad relationem consilii; signat(a) Tristanus Calchus, a tergo Semphorianus et sigillat(a) vero et solito regali sigillo in cera^c rubea more solito».

«Serenissime Rex, usque de anno 1483 inita fuerunt pacta inter dominos scolares Scole sancte Marie Conceptionis in ecclesia Sancti Francisci Mediolani ex una, et Evangelistam et Iohannem Ambrosium de Prederiis et Leonardum de Vinziis Florentinum ex altera, continentia quod dicti de Prederiis teneantur fabricare et ornare anchonam ad altare prefate Conceptionis iusta listam in instrumento dictorum pactorum infrascriptam, in qua inter cetera continetur quod tenerentur facere imaginem beatissime Virginis in tabula lignea plana, depincta ad oleum cum omnimoda perfectione, et quod pro predictis continentiis prefati domini scolares tenerentur pro pretio et merchato et mercede numerare predictis de Prederiis et magistro [3r] Leonardo libras octocentum imperialium, et illud plus quod declaratum foret per dominum fratrem Augustinum de Ferrariis professum in dicta ecclesia Sancti Francisci, ac duos arbitros elligendos ex dictis scolaribus de quibus plenius constat in dicto instrumento pactorum quod Maiestati vestre exhibetur, verum ex parte dictorum de Prederiis opus perfectum est, nec superest nisi ut ab arbitros elligendos^d id ipsum extimetur, et postmodum iusta conventa fiat satisfactio ipsis operariis; sed licet pluries hoc ipsum requixiverunt ipsi de Prederiis, videlicet ut opus extimaretur ad effectum ut satisfactionem recipere possent, atamen numquam potuerunt dictos scolares inducere et conventa servare, quia imo quantum respectu tabule de qua supra reperto emptore sublata est omnis difficultas extimationis cum iure cautum sit etc. tantum valet quantum vendi possit, atamen adhuc negarunt alternatum facere vel pretium^e solvere vel tabulam pictori reddere, extimantes ipsi pretium esse mercedem mercenarii dive Virgini vacare ex equidem iniquam et ab omni honestate alienum est. Qua propter supplicat regiam Maiestatem vestram idem Iohannes Ambrosius ad predicta in solidum obligatus, et qui opus perfecit ut supra, quibus

dignetur ad se evocari facere dictos scolares sive eorum priorem et syndicos; et auditis eadem partibus providere quod inter ipsas partes conventa servantur, et quod predicti scolares alterum de duobus fatiant, vel tabulam de qua supra restituant, vel pretium ab emptoribus oblatum solvant; et aliter indebite dicti supplicantes privati remanebunt mercede sua, [3v] quod non creditur fore mentis regie Maiestatis vestre, cui se comittit etc».

Cumque sit ad instantiam dicti domini Iohannis Ambrosii de Prederiis presentate fuerunt prefate littere regie coram prefato domino potestate in quo termino agen(tes) pro dictis dominis priore et scholaribus dicte Scolae preposite fieri exceptionem contra prefatas litteras regias, allegantes absentiam dicti magistri Leonardi de Venziis, et aliis deductis et oppositis in dictis exceptionibus, et prout in actis prefati domini potestatis apparet.

Modo in presentia meo notarii et testium infrascriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum^f: Ambrosius de Gaffuriis, filius quondam domini Bellini porte Nove parochie Sancti Victoris ad Quadraginta martires Mediolani, sindichus et procurator et procuratorio nomine spectabilium virorum dominorum prioris et scholarium Scolae Conceptionis beate virginis Marie constructe in ecclesia Sancti Francisci Mediolani, ad hec et alia speciali constitutione per instrumentum sindicatus rogatum per me notarium infrascriptum notarium Mediolani die vigesimo mensis novembris anni 1496 proxime preteriti, seu anno et die in eo contentis; ibidem ad legiptimationem persone sue in publico et autentico fore productionem cum oblatione copie etc. ad effectum ne eidem Ambrosio dictis nominibus seu dictis dominis principalibus suis ullo unquam futuro tempore imputari possit de aliqua culpa, mora vel negligentia et ne infrascriptus magister Leonardus de Venziis de Florentia cui denuntiatur ut infra, prethendere possit aliquam ignorantiam vel excusationem vel se aliquo modo excusare valeat seu queat, volens et intendens dictus Ambrosius dictis nominibus uti et gaudere beneficio [4r] statutorum comunis Mediolani, et alias omnibus modo, iure, via, causa et forma quibus magis et melius dictis nominibus seu dictis dominis principalibus suis in aliquo nocere nec preiudicare possit.

Accessit ad domum solite habitationis dicti magistri Leonardi de Venziis de Florentia sitam in curia Arenghi Mediolani, videlicet in porte Romane parochie Sancti Andree ad Murum ruptum Mediolani ubi tempore recessus dicti magistri Leonardi habitabat, nullis^g repertis^h personis, sed reperta habitatione vachua.

Deinde accessit ad curiam Arenghi Mediolani per mediumⁱ dicte solite habitationis suprascripti magistri Leonardi, et in qua habitabat dictus magister Leonardus tempore eius recessus, ut supra repertis et presentibus de euntibus et redeuntibus per dictam^j curiam audient(ur), intelligent(ur).

Deinde accessit ad scallas pallatii Broleti novi comunis Mediolani et ad offitium Gubernatoris statutorum comunis Mediolani, repertis et presentibus de notariis dicti offitii Gubernatoris deinde euntibus et redeuntibus, qui dictam scallam audient(ur) et intelligent(ur), et hec omnia iuxta formam et dispositionem statutorum comunis Mediolani supra hiis disponentium, et ibidem in predictis locis et presentibus singulariter et debite refferendo repertis et presentibus, ac audientur et intelligentur ut supra, et ut supra et congrua relatione habita predictis ambobus de Gaffuriis sindichus et procurator dictis nominibus dixit, denunciavit, inthimavit et notificavit et dicit, denuntiat, inthimat et notificat predicto magistro Leonardo, et in predictis locis et partibus singulariter et debite [4v] refferendo ut supra et ut supra prefatas litteras regias, una cum supplicatione anexa ac obtentis ad supplicationem dicti Iohannis Ambrosii de Prederis contra prefatos dominos priorem et scolarem dicte Scolae Conceptionis ut supra, necnon exhibitiones earundem litterarum ac exceptionis prepositas post presentationem prefatarum litterarum regiarum, cum termino legiptimandi personas prefatorum dominorum prioris et

scolarium dicte Scole, et omnia et singula exinde secuta cum contentis in eis, cum quanta potuit et potest instantia requixivit et requirit a predicto magistro^k Leonardo cui fit presens denuncia ut supra; et in dictis locis et partibus singulariter et debite refferendo ut supra quavis eundem Ambrosium sindichum et procuratorem ut supra, seu prefatos dominos principales suos ac dicte Scole relevare indempnem et eius dictis nominibus ac dictis principalibus suis nomine quo supra, bona indempnia prestare a dicto domino Iohanne Ambrosio et a predictis litteris et supplicatione ac secutis exinde et deinde comparere coram prefato domino potestate comissario delegato ut supra, seu eius vicario ac locum tenente; et coram quocumque alio ius dicente et iudice ac comissario consultare, et omnia quo et ubi expedierit ac necesse fuerit cum scripturis infrascriptis procuratoribus advocatis et iuribus, denariis, solicatoribus et omnibus aliis et singulis ad similia opportunis et necessariis ad excusandum, relevandum indempnem et indempnia prestandum et conservandum dicto Ambrosio dictis nominibus ac dictos dominos principales suos a dicta lite motta ut supra, ac litteris regalibus et supplicatione ac secutis exinde, et ab aliis et singulis in eis contentis ac dependentibus connexis, et <.....> ac secutis et secuturis et que sequi possent exinde, et ad suscipiendum quod suscipiat in se et super se eius propriis expensis, dampnis et interesse dicti magistri Leonardi causa prefatarum litterarum regalium <...>

[5r] Et ad faciendum fidem de predictis et ad omnem bonum finem et effectum et alias omnibus modis ut supra et ut supra, <...> ipse Ambrosius dictis nominibus, produxit, presentavit et exhibuit exhibitionem prefatarum litterarum regiarum cum prefatis litteris infrascriptis ac supplicatione in eis inserta cum contentis in eis, ac totum processum agitatum in causa prefatarum litterarum regiarum, et hoc solum modo in illis parte et partibus, passibus, punctis et articulis tantum in qua quibus et in quantum sint et faciant et esse et facere possint per dictum Ambrosium dictis nominibus, ac dictos dominos principales suos tantum insuper et ad ultra, de quibus quidem iuribus, scripturis et processibus ac dicto instrumento sindicatus de quo supra fit mentio cum contentis in eis dictus Ambrosius dictis nominibus obtulit et offert fieri facere [5v] copiam predicto magistro Leonardo, cui denuntiatur ut supra. Et cuilibet alii persone eam habere volenti et debenti de iure et pro et copia sit fienda, predictas scripturas, processus et iura superius narrata cum contentis in eis <...>, penes me notarium infrascriptum congruo tempore permanserit et deinde parti restituenda.

Et de predictis rogatum fuit per me Baptistam de Capitaneis notarium Mediolani ac notarium infrascriptum publicum confici debere instrumentum unum tenoris eiusdem dimisso exemplo presentis denuntie et notificationis^l ad domum solite habitationis magistri Leonardi, cum dictis locis et partibus singulariter et debite refferendo ut supra et ut supra ac repertis et presentibus ac audientibus et intelligentibus ut supra etc.

Actum in suprascriptis locis et partibus ut supra narratis.

<...>

^a Segue execut depennato. – ^b Segue et supp depennato. – ^c Nel testo cerea. – ^d Così nel testo. – ^e Segue facere depennato. – ^f I nomi dei testi seguono tutti al nominativo. – ^g nullis in interlinea. – ^h Segue et presentibus depennato. – ⁱ ad curiam Arengi Mediolani per medium in interlinea su in contrata domus depennato. – ^j Segue una parola depennata. – ^k magistro in interlinea; segue domino depennato. – ^l Segue predicto magistro Leo depennato.